

mysterium incarnati Verbi perceperunt; thus insignis devotionis, internæque consolationis; myrrham incorruptionis à peccatis, ne posthac laberentur lethaliter; quæ est confirmatio in gratiâ. Ita piè credi potest.

PUNCTUM IV.

Colloquia Magorum cum Mariâ. Narrabant de stellâ, de gestis Hierosolymis; circumspiciebant casam, præsepia, pannos, ipsam Matrem admirabantur. Illa vicissim conservabat omnia, confers in corde suo; laudabat eorum fidem, confirmabat. Non adfuerat initio Joseph, ut indicaretur Infantem hunc non habere Patrem in terris, quâ homo erat: superveniens autem Joseph, quæ sensit? quæ dixit? Cùm pernoctâssent ibi, admonentur in somnis, ne redirent ad Herodem, quod ille petierat; ne ipsi et Infans in periculum adducerentur. Parent, et aliâ viâ revertuntur, gratulantes sibi pro suscepto labore. Ita iis coniungit, qui constanter Christum quæerunt.

MEDITATIO XXIV.

Purificatio Matris et Præsentatio Filii.

PUNCTUM I.

B. Virgini virtutes. VIRGO implet legem purificationis, quæ jubebat mulierem quæ peperisset masculum, oblato sacrificio, purificari in templo post quadraginta dies. 1. Libenter

se continuit per illos dies in illâ casâ, intenta alendo filio, et defixa in contemplatione tantæ rei. 2. Emituit puritas, quòd, cum purissima esset, adhuc voluit purificari. 3. Obedientia erga legem, à quâ tamen erat exempta, quòd concepisset, non suscepto semine. 4. Humilitas, profitendo se indigere purificatione, dum ritum servabat: offerendo *pullum columbæ, aut turtorem pro peccato*; sicut Filius peccatorem exhibuit, admissâ circumcissione. 5. Amor paupertatis, quia non agnum obtulit in holocaustum, sed pullum columbæ, aut turtorem, quod permittebatur pauperibus; et potuisset procurare agnum ex oblatione Magorum, sed maluit ex pauperibus esse. 6. Devotio et reverentia, quâ munus suum obtulit sacerdoti, petens pro se orari. Hæ sex virtutes sunt instar sex foliorum lilii candidissimi: *Cant. 2. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

PUNCTUM II.

Lex altera jubebat offerri Deo omne primogenitum, in memoriam liberationis ex Ægypto, ab internectione primogenitorum omnium, tam hominum, quàm pecudum. 1. Devotè offert Patri æterno Filium ipsius, et proprium; oblatione significatâ præteritis seculis per tot illas primogenitorum oblationes, et optatissimâ ipsi Patri æterno, multòque acceptiore, quàm Abelis, Noë, Abrahæ, omnibusque mosaicis sacrificiis, per quam petebat pia Mater toti mundo salutem et reconciliationem. 2. In-

Oblatio B. Virg. Ipsius Christi.

fans quoque ipse offert sacrificium Patri; quandoquidem priores oblationes non auferabant peccata. At speciatim cogitabo quòd pro me se obtulerit. O offeram ego meipsum!

PUNCTUM III.

Primogenitus debebat redimi quinque siclis. 1. Redimitur à Deo Patre, cui fuerat oblatus. Non sibi retinet, testificans quòd vult prorsus eum esse nostrum. 2. Redimit Virgo Mater, ut nutriat; non ut servet sibi, sed mundo. 3. Pretium, quinque icli: non plus hic, quàm alii primogeniti, redimitur. Ostendit Deus promptitudinem dandi eum nobis, ut noster sit; siquidem tam parvo redimi eum sinuit. Quinque sicli possunt intelligi, mortificatio quinque sensuum, vel quinque virtutes quibus ad Christum disponimur recuperando cum Deo gratiam. Viva fides, timor Dei, dolor de peccatis, fiducia de misericordià Dei, ac stabile propositum emendationis. 4. Redimitur in eum finem, ut sub potestate hominum sit, et morti etiàm pro iis tradatur.

Redimitur 5 siclis.

Sicli quid.

MEDITATIO XXV.

De Simeone et Annà in Præsentione Christi.

PUNCTUM I.

VIRTUTES Simeonis et oraculum. 1. Erat vir justus et timoratus; cavens diligentissimè ne quid offendat: *Qui timet Deum, nihil negligit.* 2. *Expectans*

Simeon qualis? Luc. 2. 25. Eccl. 7. 19.

consolationem Israel, per ardentia desideria, per preces cum fiducià magnà. 3. *Et Spiritus sanctus erat in eo*, non tantum sicut est in quovis justo, sed peculiariter: à quo proindè incitabatur ad flagitandam ardentem et expectandam consolationem Israel; ipse enim Spiritus postulat pro nobis, dum postulare facit. Quà fiducià et vitæ sanctimonià meruit responsum accipere: *Non visurum se mortem, donec videret Christum Domini. Deus voluntatem facit timentium se, et deprecationem eorum exaudit.* 4. Datur etiàm nunc aliquibus in hac vitâ videre Christum Domini per contemplationem; sed quia scriptum est: *Non videbit me homo et vivet*, moriar per mortificationem, ut videam per contemplationem; aut planè moriar hic, ut illuc videam facie ad faciem.

Luc. 2. 26.

Ps. 144.

19.

Exod. 33.

20.

PUNCTUM II.

Impletur votum Simeonis. *Veni in spiritu in templum, et ipse accepit Christum in ulnas suas. Verè potens est Dominus facere superabundanter, quàm petimus aut intelligimus.* Petierat Simeon videre, et datur ei amplecti ipsum, contrectare, exoculari. Multi tunc aderant, solusque agnovit Simeon, quòd infans nihil præ se ferret foris singulare. Ita contingit, ut solùm, qui dispositi dignè sunt, Christum in Euchariastia agnoscant, et accepto fruuntur. Præterea æstimetur gaudium boni Senis, præ quo ducebat omnes labores pro nihilo, et nihil superesse amplius in hac vitâ sibi optandum. Ita et tu, propter

Luc. 2. 27

et 28.

Eph. 3. 20.

Solus Simeon illustratur.

Phil. 3. 8.

eminentem scientiam Jesu Christi, omnia arbitrare ut stercola, ut Christum lucrifacias. Duo collige ab exemplo Simeonis, quæ faciunt ad felicem mortem. 1. Fiduciam, quam sancti concipiunt futuræ retributionis, cum experiuntur in hac vitâ quomodò Deus consoletur suos, ac centuplum eis nunc reddat, juxta promissum suum. 2. Fastidium rerum humanarum: undè cupiunt dissolvi, et esse cum Christo. Tandem quid sensit Mater, similiter et Joseph, cum agnosci puerum à sancto Sene viderent, et ita prædicari. *Erant mirantes super his quæ dicebantur de illo.*

Luc. 2. 33.

PUNCTUM III.

Simeonis sermo ad Mariam. Prædicat ipsam doloris gladio transfigendam. Sic Deus miscet tristitia lætis, summo consilio. Et voluit, ut B. Virgo et Mater jam tunc inciperet amaritudinem Filii passionum persentire. Deindè de Puero, quòd futurus sit in ruinam et resurrectionem multorum in Israel. Ex parte quidem Christi, nulli in ruinam, sed in resurrectionem tantum, ad provectionem, ad gratiam et gloriam: ex parte verò ipsorum hominum, qui abusuri erant beneficio, et scandalizandi in ipsius humilitate, etiam ad ruinam. Item quòd in signum contradictionis, in quem tanquam in scopum jacularentur; calumniando doctrinam, miracula, mores, et vitæ etiam insidiando. Gaudebo ad imitationem Christi, quando propter ipsum contradicetur mihi.

Prædictio
Simeonis.

PUNCTUM IV.

Annæ confessio, cui etiam revelatus fuit Christus. Annæ virtutes. Ejus quoque insignes exitière virtutes, quibus id promerita est: Castitas vidualis, oratio et jejunium, legis observatio, et assiduitas in templo, cum annorum octoginta quatuor perseverantiâ in hisce bonis operibus.

MEDITATIO XXVI.

Est Applicatio sensuum.

MEDITATIO XXVII.

Fuga in Ægyptum.

PUNCTUM I.

PERSECUTIO Regis nati: instigante diabolo, qui suo regno à tam admirabili Infante metuebat, Herode rege successorem non ferente; et populo assentiente regi impio, Christus quæritur ad necem. Cæpit jam tunc impleri Simeonis vaticinium de contradictione. Et voluit Pater æternus ab infantiâ Filium suum laboribus exerceri: et proprium est mundi persequi adversantes sibi. Id evenit primitivæ Ecclesiæ, et passim justis: Omnes enim qui volunt piè vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Et præmonuit nos Christus: Non est servus major Domino

Christi
persecut.2 Tim. 3.
12.Joan. 15.
20.

Quare fu-
gerit.

suo : *si me persecuti sunt , et vos persequentur.* Potuit aliter quàm fugiendo declinare periculum : sed ita maluit. 1. Ut plùs pateretur in exilio apud extraneos. Nec fugit ad Magos , ubi in pretio esset ; sed ad ignotos , ubi lateret : quod imitari debemus , ut velimus in occulto esse , dum aliter de nobis disponit per Superiores. 2. Voluit etiam genti idolis deditæ

Isa. 19. 1. *prodesse , et implere Isaiaë prædictionem : Ecce Dominus ascendet super nubem levem , et ingreditur Ægyptum ; et commovebuntur simulacra Ægypti à facie ejus.* Hæc nubes fuit sacra illius humanitas ; vel etiam Matris ulnæ , in quibus portabatur. Simulacra autem commota sunt , quia fundamentum ab eo positum est illius perfectionis , quæ postea in Ægypto maximè viguit in sanctis anachoretis et cœnobitis ; per quam idola , quibus mundus serviebat , divitiæ , honores , et voluptates , prostrata sunt et conculcata. O cùm Christus in nube panis ingreditur ad me , simulacra pravarum affectionum turbentur ! Quod Christo evenit fugienti Ægyptum à facie Herodis , evenit ejus corpori primitivæ Ecclesiæ , sanctisque apostolis , qui pulsati à Judæis , se ad gentes converterunt. Ne me deserat , obsecro , meus Jesus. Ne ego tibi , bone Jesu , secedendi præbeam occasionem ; et ne alius accipiat coronam meam.

PUNCTUM II.

Appariti-
o angeli.

Revelatio de fugâ capessendâ. Deus mittit angelum , providentiam gerens de Filio , donec ve-

niret hora ejus. Gerit etiam de justis , adoptionis filiis. Per angelum intimat , quia vult sibi obediri etiam in ministris. Non Matri intimat , sed Josepho , cui , ut capiti domûs , voluit Matrem subjacere. Nec illa ægrè tulit , sed perindè paruit , ac si fuisset sibi revelatum. Dummodò voluntas Dei fiat , non interest per quem innotescat. Discam ita obedire , et subordinatis.

PUNCTUM III.

Circumstantiæ mandati. 1. Dormienti noctu imperatur. Vult Deus postponi quietem et commodam propter obedientiam. 2. Jubetur Puerum et Matrem adducere , cæteris relictis , quò tutius abiret. Sic ego , dum voluntas Dei urget ad aliquid , non prospiciam de commoditatibus : sufficit Jesum et Mariam secum habere. 3. Locum exilii designat Ægyptum , hostilem terram. Qui sub obedientiâ religiosâ degunt , non sibi deligant locum ; ubiquè tuti sub Dei manu erunt. 4. Terminum exilii non assignat : *donec dicam tibi.* Deo relinquamus , quamdiu in hoc aut illo munere et loco versemur ; quia ipsi est cura de nobis. 5. Rationem fugæ reddit , ob periculum ab Herode. Etsi ad obediendum non requiritur ut ratio reddatur , Deus tamen subindè id facit , ut , qui alioqui sine ratione paratus est obedire , si ea ex abundanti reddatur , suavius faciat : ut in rebus fidei , quando ad promptitudinem credendi accedit miraculum , solatium est credenti.

Nocte.

Puer et
Mater.

Indiffe-
rentia lo-
ci.

Temporis.

Fugæ ra-
tio.

Quando autem rationem præcepti non assequimur ,
perindè obsequemur : imitantes quod dicit Paulus :

*Ad Phil.
lem. v. 21.* *Confidens in obedientiâ tuâ scripsi tibi, sciens quoniam
et super id quod dico, facies.*

PUNCTUM IV.

Obedientia Joseph. 1. Nihil objecit, difficultates
non movit. 2. Celeriter obedivit. 3. Non est mora-
tus difficultatem itineris, et rerum necessarium
inopiam.

PUNCTUM V.

Commoratio in Ægypto. In magnâ rerum pau-
pertate, labore manuum vicitantes, inter barbaros
et impios, ferebant pacatissimè, Deo curam relin-
quentes. Cruciabantur ob gentis impietatem et pec-
cata. Credibile est aliquos, ad Dei notitiam cul-
tumque permotos fuisse admiratione hujus sanctæ
Familiæ, quam etiam juverint aliquibus subsidiis.

MEDITATIO XXVIII.

*Cædes innocentium, et reditus ex
Ægypto.*

PUNCTUM .

Ambitio. COGITA, 1. Quàm sit ambitio perniciosa, ut ta-
lia patret, et Christo ipsi insidiatur; et quàm sus-
picax, ubi non est timendum : 2. Quàm Christus

Cædes Innoc. et Red. ex Ægypto. 225
compassus fuerit innocentibus : 3. Quàm illis benè
cesserit mors pro Christo obita.

PUNCTUM II.

Mortuo Herode, revocantur ex Ægypto. 1. He- Decipitur
Herodes.
rodes frustratus voto occidendi Christum, regnum
etiam amisit infelici morte, pro quo retinendo fuerat
Christum persecutus. Sic nihil proficit tandem ini-
quitas. 2. Joseph admonetur per angelum, fidu- Joseph
monetur.
ciamque in Deum majorem concipit, quandò vi-
det ita sui curam geri, sibique commissorum. Ideò
me projiciam in Deum, *in cujus manibus sortes mee* Ps. 30. 15.
sunt. 3. Angelus apud Josephum non nominat ex Mariam
nominat.
nomine Mariam, aut sponsam ejus, nec modò,
nec in priori apparitione, sed Matrem vocat : *Ac-
cipe puerum et Matrem ejus*, quia hoc nomen ipsi
gloriosissimum. Et ita ferè Evangelistæ appellant.

PUNCTUM III.

Reditus ex Ægypto. 1. Sensère illi, qui assue-
verant sanctis hisce hospitibus, et fortè ad Dei cog-
nitionem adducti fuerant, illorum abscessum. 2. Jo-
seph solitus in dubiis ad Deum recurrere, edocetur
ne transeat in Judæam. 3. Christus nomen contraxit
à civitate, ubi enutritus est, ut Nazaræus vocaretur ;
id est, sanctus, Deoque sacer (quis ut ille?) vel
floridus, quomodò non alius, omni genere virtu-
tum : *Flos campi, et lilium convallium.* Cant. 2. 1.

MEDITATIO XXIX.

Christus ascendit in Templum, et manet.

PUNCTUM I.

Consuetudo visitandi templi. QUOD consuetudo fuerit Mariæ et Joseph ascendendi in templum temporibus à lege præscriptis, ter in anno; tum spiritu parendi legi, tum peculiari devotionis sensu erga Dei domum. Christus autem simul ascendebat, quòd ita parentes vellent; et ut ibi Patrem glorificaret, gratiasque solemnes ageret cum reliquo populo, pro communibus et privatis beneficiis, quæ fuerat legis ratio præcipientis ascensum. Nec quia consuetudo erat, ideò ex consuetudine faciebant; sed ex devotionis spiritu: quod est in talibus atque aliis virtutum actionibus servandum nobis.

PUNCTUM II.

Remansit Puer. *Remansit puer Jesus* in templo, quia magis etiam quàm Samuel versari in Dei obsequio appetebat; et ut exemplum daret pietatis circa res sacras, et cultum divinum, præsertim in eâ ætate, quando alii incipiunt ratione uti: ut doceret jam tunc assuescere oportere pietati, exercitationique virtutum. Remansit autem insciis parentibus, ne si illi repugnarent, videretur inobediens, cum alioqui remanere eum oporteret; vel si permitterent, eorum præsentia sibi fo-

Christ. ascend. in Templ., etc. 227
rel impedimento. Discam affectum carnis et sanguinis deponere; et, si conjuncti prohibitori sunt, celare ipsos consilium, quamvis dolituros: *Qui amat* Matt. 10. 37.
patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.
Et: *Qui dixit patri suo et matri suæ, nescio vos, etc.* Deut. 33. 9.
hi custodierunt eloquium tuum.

PUNCTUM III.

Voluit Jesus manifestare se, idque in templo et Christi apud legis doctores: in quo actu insignes exhibuit virtutes: 1. Modestiam, vultu, verbis, et moribus Modest. singularem; ut eâ permoti, ad consessum eum admiserint: 2. Humilitatem, interrogando et audiendo; Humilit. quasi discens, non autem docens: 3. Sapientiam in quæsitis et responsis, ut stupeant; Discret. 4. Zelum, quia non ad ostentationem, sed pro gloria Dei faciebat; undè elati confunderentur, humiles illustrarentur interius. Quàm mihi hæc virtutes necessariæ, qui immorigerè et arroganter scientiam jacto, quæ nulla est; indèque meam, non Dei laudem quæro!

PUNCTUM IV.

Quid egerit illo triduo. Credibile, mansisse in templo semper, et humi cubasse; ac sine cibo vixisse, vel tenui, et illo emendicato.

MEDITATIO XXX.

Quæritur Jesus, et invenitur.

PUNCTUM I.

Parentum
virtutes in
quærendo
Jesu.

QUOD Deus parentes, amissione talis Filii, absque eorum culpâ, et, dum pium obsequium præstant, voluerit exercere ad exemplum virtutum: 1. Patientiæ; non ita dolebant, ut interiùs non turbarentur, neque pacem cordis amitterent, neque conquererentur; sed Deo se committerent: 2. Humilitatis; dum culpæ suæ tribuerent, quæ aberat omnis, vel quòd indignos se putarent tali vitæ solatio: 3. Studii et curæ, ubi primùm adverterunt, quærendi illum, dolore et amore exstimulante; quòdque id paterni officii esse intelligerent. Non invenerunt autem inter cognatos, quia propter eos non deseruisset parentes: 4. Orationis; quâ per noctem petebant à Deo sibi reddi. Contingit spiritualiter amitti Christum per diem prosperitatis, et animadverti in nocte tribulationis: vel per diem vitæ, dum per tempore hæret quis in aliquo peccato mortali, nec se agnoscit; aliquandò tamen ad vitæ noctem recognoscit. Gratiam quoque devotionis Deus subtrahit ob varias causas, vel culpabiles, vel ex providentiâ.

PUNCTUM II.

Quomodò invenitur. 1. Post triduum; in typum Tempus tridui. alterius tridui à morte ad resurrectionem ejusdem Christi. Sed illa amissio et mora fuit multò acerbior; hæc tantùm quædam illius prægustatio. 2. Locus. Locus templum. In templo invenitur, orationis loco. Invenitur in corde nostro, si illud fecerimus orationis locum, non negotiationis. Sic sponsa non invenit *per plateas*, et in turbis distractionum, nec verò *in lectulo commoditatum*: quia, ut apud Job, *non invenitur in terrâ suaviter viventium*. 3. Inter quos invenitur? in medio doctorum, audiens et interrogans. Indè intelligi potuit cur remansisset. Invenitur apud eos qui habent *clavem scientiæ*. Cogitent isti inter ipsos Christum esse, observareque quomodò alios dirigant. 4. Gaudium Mariæ majus quàm matris Gaudium B. Virg. Mariæ. *Tobiæ*; instar illius, quod postea percepit, cum redivivum à mortuis recepit Filium. Invenitur Jesu in tali actu et plausu, non ingressit se mater, ut fit, prædicando suum esse filium; at modestè et tacitè rem considerabat, et exitum præstolabatur.

PUNCTUM III.

Quomodò Mater alloquatur inventum Filium. 1. Alloquitur Filium amatèr. *Fili, quid fecisti nobis sic?* Non est curiosa inquisitio causæ, sed pia expositio doloris; ut cum Job: *Quare me posuisti contrarium tibi?* Et Christus: *Ut quid dereliquisti me?* Et David: *Quare faciem tuam*